



CANCEL:
MARTIS B.
1717:

* Zu Or Lc





4

MENS SUBSTANTIA,
CORPORE^A ESSENTIA-
LITER DIVERSA,

INCLYTI ORDINIS PHILOSOPHICI
SENSU

PRO LOCO IN EODEM OBTINENDO

DISSERTATIONE

METAPHYSICO-ANTHROPOLOGICA
PRIMA

CONTRA RECENTIORES QVOSDAM EPICUREO-
HOBBSIANOS

ASSERTA

A
M. GOTTFRIED POLYCARPO
MÜLLERO,

STOLB. MISN.

D. V. JAN. A N. MDCCXIV.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

LITERIS ANDREÆ MARTINI SCHEDII.

MENSURATA
CORPORUM ESSENTIA
ALTER DIVERSA

INCLITI ORDINIS PHILOSOPHICI
CONSENSU

PROFECO IN FORMAM VERBANDI

DISSERTATIONE

METAPHYSICO-ANTHROPOLOGICA

PRIMA

CONTRA RECENTIORES QUOSDAM ERUCOS
HOESIAS

ALBERTI

M. GOTTFRIED POLYCARPO
MILLERO

STOLANUM

D. P. P. N. N. M. M. M. M.

M. P. P.

1771

LIBRIS ANTONII MARTINI SCHMIDTII





INTROITUS.

§. I.

Cum multæ sint in metaphysicis physicisque insignes & arduæ quæstiones, eminent tamen illæ, quibus natura Spiritus & materiæ, quam omnes æque circumferimus, & in specie natura mentis humanæ exponitur, licet in his ipsis momentum felicitatis nostræ situm sit maximum. Quotusquisque enim philosophorum non de essentia, spiritualitate, ortu & propagatione, unione cum corpore, nec non immortalitate mentis mente non raro destitutus disputare convevit, ita ut etiamnum circa toties discussa & examinata contentiois serena publice privatimque reciproceretur? Equidem res dignissima est, quæ poni extra dubium debeat, utpote in Logicam, moralem sôphiam, ipsamque Theologiam influxum exerens plane singularem. Cadunt hæc omnia aut sane labascunt, si fundamenta humanæ sapientiæ de mentis nostræ genuina natura concutiuntur, nam omnis omnino eruditionis basis cognitio propria haberi potest, uti exin disciplinarum Facultatatumque ambitum deducere non infeliciter Joh. Joach. Beccherus (a) cum multis aliis laboravit.

a) Prodiit ejus Psychosôphia sive Geesens Weisheit ed. tertia anno 1707, in nuce sistens fundamenta omnium Facultatatum

ex auctoris genio. Liber ex propria praxi egregie scriptus est licet nimium ab ipso Becchero extollatur. v. iudicium de hoc viro ab illustri Leibnitzio pronunciatum in Miscellaneis Berolinensibus. p. 95.

§. II.

Ex omnibus autem de mente hominum difficilioribus quaestionibus illam licebit decerpere, quæ de *essentia* (b) *eiusdem differentia a corpore agit, substantiam ipsi peculiarem, eamque spirituales vindicans*, nec non plurimas, quarum mentionem feci, controversias junctim in sinu suo completens. (c) Equidem omni philosophorum ætate, quantum constat, agitata hæc est controversia, & Græci Latini que philosophi circa mentis naturam plus simplici vice in diversa abierunt. (d) Exercuit eadem & nostræ ætatis ingenia, ut inter multa alia ex Joh. Raphson, Angli, Epistolis Miscellaneis, Demonstrationi ejusdem de DEO adjectis, (e) & ex scripto anonymo, cujus titulus: **Sweyer guter Freund de vertrauter Brief-Wechsel vom Wesen der Seelen** (f) ad nausæam usque apparet. Non me um est, latentem hujus ultimi autorem vel editorem vel arenam provocare, cum jam alii adsint, ut Summe-Reverendus Dominus Joh. Franciscus Buddeus in Commentatione de Arabicorum hæresi, (g) ut & Experientissimus Dominus August. Frider. Cammerer in libro: **Untersuchung von der Seelen** &c. (h) qui ulcus tetigerunt, sed placido tantum examine sententiam contrariam defendere licebit & propugnare, quo ipso necessaria veritas eo apertius prodibit in lucem.

(b) non ergo de qualibet differentia, sed de *essentia*, sermo est, alias quippe latius pateret hoc thema, quam ut tam breviter constringi posset.

(c) hoc ipso de natura materiae & Spiritus, de natura corporis, functionibus, essentia & spiritualitate mentis, imo de fundamentis.

mentis genuinæ Logices & metaphysices generalissimis constabit.

(d) haud absque causa Gilbertus Cognatus in argumento ad Luciani dialogum, qui Hermetimus s. de sectis philosophorum inscribitur, de hisce pronunciat : Qui sunt e Schola Pythagorica, animam numerum se ipsum scientem, esse definiunt : (insinuaverat antea Democritum & Epicurum perire animas cum corporibus statuisse,) Aristoteles entelechiam primam corporis, alius quatuor elementorum harmoniam. Et ne cuncta persequendo nimius sim, cuique pro suæ rationis intellectu, aut (quod verosimilius est,) pro nocturnis somniis alia semper atq; alia res visa est anima: adeo ut si collatæ inter se se fuerint de illa philosophorum opiniones, anima res erit omnium monstrorum monstruosissima.

(e) notissima apud nos editione prod. an. 1712. Ex Epistolis maxime huc pertinet 1. & 2.

(f) continet hoc tres epistolas, medici primam, mentis substantialitatem & differentiam a corpore essentialem negantem, Professoris alteram, priori oppositam, medicique responsoriam. Quæcunque inibi dicuntur ex medici sententia quoad fundamenta jam diu partim a Lucretio, partim ab Hobbesio aliisque proposita sunt, imo ut verum fatear, confusio tantum in multis videtur accessisse, & dictorum Scripturæ Sacræ detorsio. Quare non contra hunc stringere calumum animus est, sed rem omnem citra partium studia & hypothesium physices primarum consveta multis præjudicia ita tractare, ut neminem in specie tangam, quippe ea, quæ hic scribo, scripturus, si vel maxime harum litterarum nulla ad me pervenisset notitia. Operat quidem editor anonymus in fine prærationis, ut quis ultimam medicæ epistolam, ob Professoris mortem absque responsione relictam, retutare ipsique dubia sua excutere velit, mit der Erlaubniß, daß er seine satisfaction oder desiderium, wo er nicht convinceiret, hernach mit nemigen möge an Tag legen, (prout scribit p. 14.) sed cum iudicii philosophici defectus & juvenilis inceptiendi in re seria pruritus, male consarcinatis flosculis ad nauseam usque

ebulliens, ubique sese prodat, dubito bonos viros facile ejus gratia tempus profusuros.

(g) prodiit hæc programmatis loco in Lectione Theologica Dom. Lic. Joh. Jac. Lungershausenii, Jenæ an. 1713. ubi comparatione inter sententiam auctoris anonymi & hæresin Arabicorum instituta, dicta quædam Scripturæ Sacræ tantum vindicantur & p. 9. 10. 11. paucissimis ex natura intellectus & voluntatis desumptis, sed quasi aliud agendo, ad objectiones Medici anonymi responderetur.

(h) prodiit hujus Doctoris Medicinæ & Practici Sorbig: *Untersuchung von der Seelen*, Lips. an. 1714. Refutatio fere ab initio instituta aliquantisper continuatur, sed, quod pace Clarissimi viri dixerim, non ab ipsis principiis, multo minus ab intimis contralentium recessibus physicis & metaphysicis, quod dubio procul auctori non fuit propositum, negotium deductum est.

§. III.

Ita autem totum exequar institutum, ut benedicente Numine *in prima hac disquisitione affirmativam sententiam clare & demonstrative probem*, in *secunda* autem, quam primum habenda, *objectionibus dissentientium occurram*, errorisque *indicem primam originem*, ne quid facile, quod momentum trahit, queat superesse. Quinimo in explicandis terminis essentia & substantia, ut & facultatum, quæ menti adscribuntur, ita versabor, ut admitti etiam possint debeantque ab iis, qui mentis essentialem a corpore differentiam, propriamque substantialitatem non admittunt, id quod in causa est, cur consuetas eorum definitiones non ubique invenire licebit. Pari ratione neminem facile tam iniquum rei censorum arbitror futurum, ut quorundam auctorum, ad quorum consensum vel dissensum provocabo mentis facultates deducens, ut Spinozæ, Cussleri (i) aliorumque hypotheses reli-

quas,

quas, ipsis familiares, adscribere mihi velit, cum tantum ad-
versariorum gratia in consilium fuerint adhibiti, tanquam ad
eorum sententiam proximitus accedentes. Quodsi illis,
quorum mens subtiliora ferre, aut præjudiciis philosophiæ
pure mechanicæ excecata quietem sibi in lectione & medita-
tione hujus thematis imperare nequit, ingrata scribo, non
magis illorum clamores aliquid contra veritatem hic propo-
sitam efficient, quam Hylax in limine latrans. Duo jam e-
runt capita, quorum prius explicationem terminorum &
principia, posterius demonstrationem exhibebit, ut opinor,
clarissimam. Det DEUS feliciter!

(i) Consensum suum cum Spinoza exhibet Cuslerus in Specimine ar-
tis ratiocinandi p. 99-127. C. II. §. 14.

C A P. I.

§. I.

AB essentia ejusque idea rem exordiar, quod reliqua
cuncta ex in intelligi debeant, nam terminorum am-
biguitas & diversissimus a diversis usus, etiam in hac
controversia maximam partem dissidium peperit, fovit, alu-
it, roboravit. Notat mihi *essentia* rei complexum omnium
illarum proprietatum, quibus conceptis non possumus non
rem ipsam concipere, & quibus sublatis res ipsa tollitur, ita
ut illis ab omnibus aliis rebus perpetuo & constanter distin-
guatur. Constat enim inter omnes, neminem aliud quid
in rebus posse concipere, quam meras proprietates, quas post-
modum cogitando conjungimus, aut sub uno aliquo gene-
rali conceptu comprehendimus. DEi essentiam mente ex-
hibentes omnipræsentiam, immensitatem, unitatem, omni-
potentiam, omniscientiam & sic porro alia attributa, uti in
DEO solenniter dicuntur, concipimus, concipiendoque ita
conjungimus, ut nexu necessario & inseparabili semet in-
volventes, unum illud constituent longe simplicissimum di-
vinissimumque. Nec abit ab hac essentia idea, quod aliis di-

dicatur (k) id, quod primo in re concipitur, sine quo res esse non potest, estque fundamentum & causa cæterorum, quæ sunt in eadem re; quoniam illud primo in re conceptum nihil notat præter palmarias proprietates, aut earum complexum, quem alii (l) per id, per quod quilibet & est, & est id, quod est, sed obscurius paululum, declararunt. Placeat Spinozæ (m) sua expressio, quod essentia sit id, quo dato res ponitur, & quo sublato res tollitur, placeatque Hobbesio (n) prolixius ostendisse, essentias rerum ab entibus suis non esse separatas; in aprico tamen est, nihil ab utroque in hoc statui, quod cum prolato essentiæ conceptu non conspiraret. Conspirant pariter, quibus vulgo sic dictæ proprietates essentialibus, debito nexu invicem unitæ, nihil aliud quam ipsam rei essentiam significant. Nec opus est cogitando illas ab ipsa rei essentia tam sollicitè separare, (o) cum separata a proprietatibus essentialibus essentia non dari, imo nequidem fingi, clare queat, licet Secta Scholasticorum realis aliquid simile in mente habuisse videatur.

(k) v. D. Thomas de ente & essentia C. I. & VII. Metaphys. Sect. V.

(l) Sic vulgo in libellis metaphysicis.

(m) in Ethica P. II. Prop. X. in Scholio Corollarii.

(n) v. ejusd. Leviathan c. 46. p. m. 320. ubi tamen nimis acri censura innocuæ voci essentiæ dicam scribit, eamque tanquam ad regnum tenebrarum pertinentem ex regno cruditionis vult eliminatam,

(o) Possem hac occasione quædam de clariori formæ conceptu addere, per quam, consueta loquendi ratione, res id est, quod est, & non aliud. Nisi enim per hanc descriptionem intelligas essentialibus proprietates, rei plane peculiares, nullum commodum habebis sensum.

§. II.

Hoc posito fundamento *essentialis entium diversitas vel differentia*, quæ & formalem includit, erit contrarietas & pugna proprietatum essentialium, hoc est, illarum, quibus conceptis non possumus non res ipsas concipere; quibusque res ab omnibus aliis rebus perpetuo & constanter distinguuntur.

tur. Involvit ejusmodi contrarietas naturam proprietatum tam diversam & dissentientem, ut se invicem tollant ac destruant, nec junctim concipi possint: (p) quo ipso tamen generalis omnium entium convenientia, cum omnia, utpote æque entia, realitatem quandam actualem, sive quasdam proprietates communes, quibus conveniunt, possideant, (q) minime tollitur.

(p) Noli ideo differentiam essentiae cum differentia existentiae confundere, quippe hæc ultima estismodi pugnam minime involvit. Sic duo corpora humana essentia non differunt, differunt tamen, ut constat omnibus, existentia.

(q) Hanc entitatem universalem (liceat metaphysice loqui) per unitatem, veritatem, bonitatem vulgo designare & exponere laborant; sed alii eandem in extensione, omnibus entibus competente, cum Henrico Moro in Metaphysica & hujus discipulo Joh. Raphsoni in epistolis Miscellaneis quaerunt, Uterque non positionem partium extra partes (prout plurimum extensionem describunt,) sed fere ubiætatem entium, quam omnes Metaphysici admittunt, per suam extensionem intellexisse videtur. Placuit Domino Christ. Thomasio in Confessione doctrinae suae eandem per perceptibilitatem, extensionem & ubiætatem entis junctim delineare, quarum sententiarum dissensum aut consensum prolixius discutere non est hujus loci.

§. III.

Atque circa hæc facilis est consensus, sed in *substantia* describenda & concipienda ita sibi repugnans multorum philosophorum expositiones, ut in prolixis sepe commentationibus non aliam viam invenire possis, quam

Quale sub incertam lunam, sub luce maligna

Est iter in sylvis &c.

Sufficiet hoc loco in sequentem consensisse conceptum, quod substantia sit ens, cujus proprietates essentielles ejusmodi nexu necessario invicem unitæ sunt, (r) ut omnes junctim unum & integrum quid, entibus omnibus reliquis actu contradistinctum, efficiant. Manifesto competit hæc descriptio

B

multis

multis rebus creatis e. g. omnibus mineris, plantis & animantibus, sed colores, odores, sapes aliaque plura non existunt entibus omnibus reliquis contradistincti, quin potius tantum in aliis existentia sua salvantur. Concedent dubio procul hanc substantiæ ideam omnes, quotquot illam consueto more per ens per se subsistens definire consueverunt, neque enim sensu ab hoc significato Academiis familiari recedere animus est, sed tantum loquendi formulis illorum me accommodare, quorum sententiam oppositam in secunda disputatione refutabo. Quippe dubio procul non hæc modo prolata definitionis mens est, ac si substantiæ sine omnium aliorum entium auxilio subsisterent, quo sensu nulli creaturæ hic titulus vindicari posset, sed potius, quod actu distinctum ab aliis entibus in suis essentialiter unitis proprietatibus existentes deprehendantur. (s) Non tamen sunt prætermittendæ recentiorum nonnullorum notiones, quas voci substantiæ tribuunt, ne erronei conceptus erronea nobis pariant judicia. Familiare est quibusdam ex his per substantiam fulcrum quoddam commune omnium, quas in re quadam concipimus, essentialium & extraessentialium proprietatum intelligere, (t) sed ipsi, nullo nos modo ejusmodi fulcrum concipere aut concipere posse fatentur. Satius ergo esset, de tali re tacuisse, cujus nullus inter homines datur conceptus, quam phantasmate illusisse imperitis. Novimus equidem DEum ineffabili sua potentia conservare, hoc est, fulcire omnia, sed incognita illa substantialia fulcra exin non possunt exsculpi. Non desunt alii, qui per substantiam, quatenus hæc vox rebus creatis tribuitur, proprietatem intellexerunt, qua res aliqua ratione suæ substantiæ a nulla alia re creata dependet, at solo immediato Dei concursu in se subsistit, seu in substantia sua conservatur: (u) qui sensus & obscurus & arctus nimis merito habetur. Quantum enim ex rerum creatarum connexionem constat, corpora ad minimum cuncta mutuo in se invicem influxu conservantur, nec apparet, quomodo hunc sensum plurimis rebus

bus

bus creatis sine contradictione possumus accommodare. Longius adhuc alii a scopo abeunt, qui substantiam definiunt ens, quod in se est, & per se concipitur, (w) sive, ut acutissimo clarissimoque Wolffio exprimitur, (x) welches seine raison, warum es ist, in sich selbst hat. Etenim, si aliter paululum eloqui sensum horum philosophorum liceret, dicerem, substantiam eorum esse, ens ex propria naturæ suæ necessitate existens & perennans, ac absque alterius rei cujuscunque relatione concipiendum; quo ipso non obscurum erit, confundi ab his ideam substantiæ & entis necessariæ, ac in essendo & existendo independentis, cum tamen consueto loquendi modo substantiæ conceptus longe latius extendatur. Facile cuicunque concedere propriam hujus vocis ideam possumus, imo Hobbesio permittere, ut substantiam & essentiam pro synonymis habeat, (y) modo nobis quod, quantum scio, omnes hi faciunt, largiantur, quodlibet ens creatum, proprietatibus suis essentialibus necessario nexu unitis constans, & ab omnibus aliis actu distincto existens, substantiam dici posse, nec talem conceptum naturæ ulla ex parte repugnare.

(r) in hac unione nonnulli quærunt differentiam substantiarum simplicium & compositarum. Scilicet, si proprietates entium essentielles inseparabiliter unitæ deprehendantur, substantiæ simplices vocantur, ut Spiritus & atomi, si admittuntur; si autem proprietatum nexus est separabilis natura sua, substantiæ compositæ audiunt.

(s) neque hac ratione satis bene sensum Peripateticorum exprimit Petrus a Balen in libro de vvaare Logica sive de Verbetering der gedagten C. VI. §. 2. p. 36. dicendo: Door van sig selsen bestaan, vvillen de later uideggers niet seggen, dat een substantie door eige kragt, sonder af te hangen van een oorsaak in de vveereit is; vvant dan zoude God alleen de substantie zijn, devvyl de scephselen hem tot een oorsaak hebben; maar datse geen hulp van eenig mede-scheptel noodig heeft, om daar door te zijn, ofte daar in te bestaan, &c.

- (t) Ut Clericus, & cum eo facientes, passim loquuntur. Imo similes Philosophi interdum paululum crude pronunciant, quod in rebus singularibus, vel substantiis concretis, nihil præter accidentia clare & perspicue cognoscamus; nam proprietates essentielles non sunt accidentia, quas tamen liquido in multis rebus percipimus.
- (u) Huc pertinet Wyerus Guilielmus Muys in Elementis physices methodo mathematica demonstratis p. 4. defin. VI. correxit tamen paululum suum de substantia conceptum in emendandis, operi subnexis.
- (vv) Ut Spinoza Ethicæ P. I. Defin. III. & ex ipso Abraham Joh. Cufflerus in Specimine artis ratiocinandi c. 1. §. 6, p. 11-15.
- (x) v. Christian Wolffs Gedancken von den Kräfften des menschlichen Verstandes/im Vorbericht §. 11. Aque ex in his & similibus autoribus necessario sequitur, ut non nisi unicam in rerum natura admittant substantiam, ita enim Wolffius l. c. Das selbst-ständige Wesen nennen wir Gott/ die andern Dinge, welche ihre raison, warum sie sind/in dem selbst-ständigen Wesen haben, Creaturen. Neque ideo penetrantissimus Wolffius Spinozismi a me postulatur, cum probe sciam, in his artis terminis verba valere ut nummos, modo se quis diserte circa eorum usum declaret, & præterea cuique nasutori facile pateat Spinozismum, sive illud, quod in Spinoza merito rejiciendum est, non in assertione unicæ in rerum natura substantiæ, uti Henricus Morus sibi & multis persuasit, sed in necessaria creaturarum ex DEO emanatione, & fato in omnibus perpetuo, quod asserit, esse querendum.
- (y) v. Hobbessii Leviathan in Appendice c. 1. p. 340.

§. IV.

Gravissima lis in explicanda *mentis* idea reperitur, cui conciliandæ ne concilium quidem philosophorum œcumenicum sufficeret; sed hoc loco tanto non opus erit labore, cum suffieat indicasse notissimas & omnibus æque notas operationes, quas etiam illi, qui mentem pro substantia propria

pria non habent, ejusque essentialiam a corpore differentiam in dubium vocant, in semet ipsis non possunt non experiri & admittere. Harum dabimus descriptiones ex ipso sensu, omnibus hominibus communi, depromptas, ut in sequenti capite eo clarior evadat exin derivata argumentatio. Nemi- ni dubium est, dari in nobis animadversionem eorum, quæ aut intrinsecus aut extrinsecus per corpus nosmet tangunt, sive conscientiam illius motus, quem objectum aliquod aut extrinsecus aut intrinsecus impressit, quam *sensationem* vel etiam *sensum* magno consensu nominamus. Nunquam fit, nisi objectum aliquod, dein objecti impressio, & demum im- pressionis illius conscientia vel animadversio adfit. Ita somno sopiti, organis etiam nostris ab objecto affectis, nihil sentimus, affectibus vehementioribus tacti nec vulneribus nec doloribus tanguntur, illisque, qui rebus confide- randis altius & profundius immerfi sunt, visus & au- ditus omnis non raro deesse videtur, cogitationibus cir- ca interna objecta ita occupatis, ut impressionibus extrin- secus factis non attendant. Sensus sine hac interna consci- entia vel animadversione sensus nullus est, ita ut Cuslerus totum fundamentum cogitandi, (2) imo vero eadem rati- one ut Ludovicus de la Forge ipsissimam cogitationis essenti- am (aa) in hac constituerit. Et rectius hi censent Hobbesio, sola in pressione organi proprii, ab objecto facti, usque ad eor, & cordis resistentia, contrapressione vel *aversione* to- tum sensum quærente; nam nullus est conceptus, quomodo exin conscientia quædam illius impressionis producatur.

(2) v. ejus Specimen artis ratiocinandi, maxime p. 35-45. it. p. 57. sq. verba notatu digna sunt: Assumam pro principio in- concusso atque indubitabili, nos nobis intime conscios esse quorundam, quæ in nobis sunt, aut producentur, atque hoc mihi punctum Archimedeum est, ex quo puro omnem cer- titudinem humanam, omnemque cognitionem atque scien- tiam legitimis consequentiis deduci posse, &c.

(aa) edidit hic Medicinæ apud Salmurienfes Doctor Tractatum de

mente humana, ejus facultatibus & functionibus, nec non de ejusdem unione cum corpore secundum principia Renati des Cartes, in quo p. 49. & p. 133. sqq. edit. Elzevir. fatetur, sensum, secundo significato acceptum, sumi pro perceptione, quæ alligata est isti motui, quando impressio, nervis facta deferretur usque ad sedem animæ, &c.

(bb) v. ejus Leviathan C. 1. p. 3. sq.

§. V.

Sensum vel sensationem immediate excipit *idea*, vel *idearum formatio*, quæ dici possit proprietatum in rebus sensu perceptis manifestatio. (cc) Oritur manifestissime ex sensatione, ita ut etiam nonnullis sensio de sensatione fuerit dicta, & modo clara, modo obscura & sic porro est. Quantum in nobis deprehendimus, lumen quasi aliquod internum, quo rerum naturas intuemur, exhibet, quas ut plurimum verbis distinctis, interdum autem neutiquam exprimere possumus, quod ultimum infantibus & surdis mutisque natis necessario contingit. Præterea aliæ ideæ schemate quodam sive imaguncula interna depinguntur, quod in rerum visibilibus ideis observamus, licet omnes reliquæ ejusmodi careant imagunculis. Vulgo ideæ imaginativas & intellectuales huc, & quidem rectissime, referunt, & ab aliis differentia inter ideam & phantasma cum Cufflero (dd) asseritur, cum alii ideæ, apparitiones, phantasmata & species rerum, pro synonymis cum Hobbessio (ee) habeant. Quicquid circa hæc statuatur, admitti hætenus a me poterit, modo descriptio ideæ data integra maneat ac inconcussa.

(cc) consentit quoad sensum, licet quoad verba diversissimus, de la Forge c. l. c. x. p. 50.

(dd) de natura idearum conf. Cufflerus c. l. p. 40-55. & imprimis de differentia ideæ & phantasmatis p. 40. sq.

(ee) c. l. C. 1.

§. VI.

Sequitur jam tertio *memoria*, quæ vel continuatione

ne fensionum & idearum vel earundem repetitione absol-
 vitur, (ff) imo tam late patet, ut omnes in nobis actiones
 & passiones, quas communissime menti adscribimus, con-
 tinuando vel repetendo easdem, complectatur. Commo-
 distime mihi describi posse videtur per conscientiam vel co-
 gnitionem omnium mentis actionum & passionum præteri-
 tarum, quo ipso recordationem vel reminiscenciam maxi-
 me tangimus. Neque refragabor, si cui placeat memoriam
 & recordationem distinguere, (gg) tantum ut utriusque na-
 turam actuali aliqua conscientia absolvi fateatur. Quando
 autem Hobbseus memoriam vocat fensionis dilationem,
 (hh) non fat clare mihi videtur loquutus, multo minus fer-
 ri poterit memoria brutalis, aut, ut alii loquuntur, corpo-
 rea, quam Cartesiani (ii) fingere & a mentali natura & exi-
 stentia distinguere consueverunt.

(ff) sequor in hac descriptione vulgatissimam loquendi formulam.

(gg) ut Hobbseo visum est in Leviathan C. II. p. 5. & C. III. p. 11.

(hh) ibi p. 4. Videtur nihil aliud, quam ideæ deductionem in nobis
 ulteriorem & prolisioram intellixisse.

(ii) Mentalem & brutalem sive corpoream homini tribuunt, sed ita ut
 prior homini tantum præ brutis sit propria. Et opus habe-
 bant hoc figmento Cartesiani, ut brutis omnem sensum ab-
 judicare possent, mentalem autem admittere debebant, ne
 post corporis mortem memoriam menti denegare cogerentur.
 Corporis dispositionem memoriæ inservire aut obesse
 palam est, sed ipsam memoriam aliquam corporis affectionem
 esse posse contra propria eorum est principia, cum memo-
 ria sit species cogitationis, cogitatio autem juxta illos essentia
 Spiritus v. de la Forge c. l. p. 162. sqq. coll. Henrico Ger. Hertel-
 tio in Philosophico hominis, methodo Cartesii concinnato,
 §. 222-230. qui figmentum Cartesianum novo figmento spi-
 rituum brutalium & mentalium in homine juvare laborat. In-
 venies etiam vestigia hujus dogmatis in Dom. Budd. Philos.
 Pract. P. I. C. II. Sect. II. §. 88. sqq.

§. VII.

Sensiones & ideas memoria asservatas & interna conscientia revocatas naturali ductu invicem comparamus, componimus & dividimus, unde *ingenium* & *judicium* exoritur. Illud est comparatio idearum pro lubitu juxta convenientias tantum possibiles instituta, uti hoc pro comparatione idearum secundum sensuum ductum juxta convenientias aut disconvenientias necessarias a recentioribus quibusdam (kk) recte habetur. Ex illo similitudines & dissimilitudines, & ex hoc ratiocinationes, scientiæ causarumque nexus proxime ducunt originem. Conjunctionem fere rationem aut etiam intellectum activum absolvunt, quanquam aliis hæ voces latiori sensu sumantur. Non autem mea interest, sive quis imaginationem, imo imaginationem compositam aut fictionem, (ut cum Hobbesio loquar,) [ll] ad ingenium, vel etiam ad memoriam [mm] referre velit, si modo agnoscat, ingenium & judicium per internam idearum contemplationem, introspectionem, aut, si mavis, conscientiam ejus, quod in idea est, & non alia ratione exerceri. Convenientiam enim & disconvenientiam comparando invenire, est cernere quid in ideis reperitur.

(kk) conf. Cufflerus c. l. p. 58. sqq.

[ll] v. Hobb. c. l. p. 6.

(mm) v. Rudigerum de sensu veri & falsi L. I. C. II. §. 27.

§. VIII.

Simulac sentimus boni aut mali quid in rebus a nobis perceptis, *voluntas* sese exerit, quæ est perpetuus conatus, ea nobis jungendi, quæ bene aut grate nos affecerunt, eaque se jungendi, quibus male aut ingrate affecti sumus. Unde proverbium; ignoti nulla cupido, & omnium hominum consensus, voluntatem intimam mentis potentissimamque esse activitatem. Pro diversitate objectorum & effectus odium audit & amor, ac prout bona obtinemus aut speramus gaudium, prout vero mala possidemus aut timemus tristitiam parit. Parit una volitio alteram, ut una idea alteram, tanta

que

que claritate interdum sese exferunt, ut vix has ab illis pos-
 sis discernere. Cartesiani volitiones æque ac ideas idearum-
 que recordationes & comparationes cogitationes dicunt,
 sed cum longe aliud quid interna conscientia volendo, expe-
 riamur, quam ideas earumque recordationes & comparati-
 ones fabricando commodius volitio & cogitatio distingui
 posse videtur. [nn] Intimam volenti naturam conatum esse,
 agnoscunt omnes, nec incommode loquuntur, qui cum
 Cufflero [oo] per desiderium vivendi, imo bene [felicitate]
 & commode vivendi voluntatem exprimunt.

(nn) Licet Cufflerus c. l. p. 84. sq. voluntatem habeat pro specie co-
 gitationis, egregie tamen & longe melius quam plurimi Car-
 tesianorum sese circa naturam volitionum explicat in sequenti-
 bus verbis: Expediit annotare assensum valde proprie vocari
 voluntatem &c. — — usque ad verba: sed quod sit nihil
 aliud, quam rem clare & distincte cognoscere. Qui locus
 contra illos, qui assensum vel assensus prohibitionem pro ex-
 ercizio voluntatis male habent, notari meretur.

(oo) conf. id. ib. p. 81- 97.

§. IX.

Uti ergo in ipsa voluntate simul est aliqua conscien-
 tia gratitudinis & ingratitude, boni aut mali, ita omnium
 in nobis productarum operationum ita nobis conscii esse
 possumus, ut verum & falsum, bonum & malum, quod
 illis inest, rursus reflectendo cernamus. Hinc reflexio, sive
 internum examen omnium actionum & passionum mentis, in-
 terna introspectione & conscientia boni aut mali, veri aut
 falsi, in illis latentis, sese exferit. Exin est, quod homo
 actiones suas & passiones examinare juxta quandam vitæ præ-
 scriptam regulam possit, & hujus ne quidem signum in bru-
 tis licetprehendere, usque adeo hæc operatio propria est
 hominibus. [pp]

(pp) hæc maxime causa est, cur reflexionem hanc, quam vulgo
 cum judicio confundunt, separatim exhibere operæ pretium du-
 xerim.

§. X.

His cunctis recentiorum ductum, ut hic vel maxime requiritur, sequutus, superaddo *libertatem* mentis, sive imperium in actiones & passiones suas, quod est moderamen omnium cogitationum & volitionum in nobis, ut datis aut demtis causis & occasionibus vel augeantur, vel minuantur. [qq] Latet in intima conscientia eorum, quæ in nobis fiunt, nec non eorum, per quæ hæc ipsa producuntur. Voluntatis conatus & vis hanc quasi efficacem reddit, & hoc moderamen producit. Omnis emendatio flexioque nostrarum actionum juxta præscriptas leges, morumque omnis temperatura huic rectissime adscribitur. Intendi & remitti variis occasionibus hæc libertas potest, competit enim omnibus hætenus recensitis operationibus, sensationi & ideæ, memoriæ & recordationi, ingenio & judicio, voluntati, reflexioni & libertati, de quarum ordine hoc loco non disputandum, intensio & remissio, prout quotidie hujus testimonia præbemus. Atque hæc sunt, quæ vulgo sub titulo mentis comprehendere moris est, an autem substantiam, eamque essentialiter a corpore diversam, inferant, in sequenti capite adparebit.

(qq) Exponit hanc libertatem aut suspensionem mentis, sive imperium rationis in rerum impressiones, diversis enim titulis utuntur, præter Clericum in Pneumatol. Sect. 1. c. 3. §. 10-16. Lockius in Tentamine de mente humana L. II. c. 21. §. 13-19. ejusque suppositio orta est, quod non voluntati sed menti in genere libertatem adscribere voluerint, cui tamen thesi varii errores immiscentur, maxime a Lorkio, qui jam huc non pertinet, conf. Buddeus in P. 1. Phil. Pract. c. 11. Sect. 1. §. 31-35.

§. XI.

Neque tamen prius adparebit, quam de *idea corporis materialis* luculentius constet, quippe cujus adhuc superest explicatio. Constat vero corpus, quo homines gaudent, machinam ex innumerabilibus fibris & canaliculis materialibus ita fabricatam esse, ut tota hujus machinæ materialis
com-

compages suis ubique humoribus, nunc subtilioribus, nunc minus subtilibus, in arteriis, venis, nervis, vasculis lymphaticis aliisque receptaculis turgescat, beneficio illorum vivat, & varia ratione moveatur. Dum corpus machinam dicimus materialem, materialibus humoribus, & prout aliis placet, vaporibus etiam refertam, non obscurum est, differentiam dari inter corpus & inter materiam, licet etiam magna detur convenientia. Corpus enim hoc loco notat ex diversis materiae speciebus & formatis membris compositum aliquod, specificis quibusdam proprietatibus, quibus se se ab omnibus aliis distinguit, adaptatum; cum materiae titulus generalis sit, & tantum ens solidum, impenetrabile & passivum notet, ex quo omnia corpora formantur. (rr) Novi equidem Hobbessio corpus notare quodlibet ens reale, ita ut nihil sit, quod ipsi corpus non dicatur, (ss) sed hunc sensum non facio meum. Praestat observare, corpus eo sensu; quo hic fumitur & fumi debet, convenire simul cum materia, est enim materiale, unde ipsi nihil poterit adscribi, quod *nature materiali* repugnat, cujus proprietates evolvendae paucis sunt. Quamcunque autem particulam materialem meditando consideramus, deprehendimus illam manifesto *solidam s. impenetrabilem* (tt) h. e. talem, ut ejus dimensio alia particula ejusdem dimensionis non possit penetrari; neque una particula in altera potest esse, sed tantum in poris sive in vacuo a priori relicto. In hac soliditate non possumus non aliquam *divisibilitatem* nobis concipere, aut partes dimensionis, ita ut nonnulli in sola divisibilitate essentiam materiae posuerint, (uu) alii eadem divisibilitatem in infinitum magno conatu tribuerint. (ww) Haec ipsa divisibilitas involvit *passionem*, & quamcunque concipimus particulam materialem, possumus eandem plene & clare absque aliquo motu, licet cum aptitudine quadam, ut moveri possit, concipere; unde colligimus, motum non pertinere ad essentiam materiae, sed competere ipsi potius essentialiter aliquam *passionem* (xx) & *mobilitatem*. Ex e-

C 2

jusmodi

jusmodi ente folido, divisibili & essentialiter passivo, neque enim opus est plures præter has communes & ubique concessas materiæ proprietatis assumere & explicare, compositum est & determinatum totum corpus humanum, ita ut omnes ejus partes, humores, & si lubet, vapores, ex se & per se ac suam naturam non possint alias ullas habere his contrarias proprietates. Quod essentia materiæ non consistat in sola extensione aut sola gravitate (yy) nolo hic disputare, cum errores in his latentes ab aliis jam fuerint producti in apricum.

(rr) materia enim in suis particulis in varias corporum formas, juxta omnia tria regna naturæ determinari potest, id quod quoad regnum minerale profunde indicatur in aphorismis Urbigerianis, sive in Cartain Rules, demonstrating the three infallible ways of preparing the grand Elixir, by Baro Urbiger. London 1690.

(ff) clarissime hoc indicat Leviathan. c. 34. p. 183. his verbis: Corpus significat universaliter id, quod locum aliquem certum implet s. occupat, nec dependet, ut ipse locus, ab imaginatione nostra, sed pars est realis ejus, quod vocamus universum coll. lib. p. 316. & 344. Qui sensus est Epicureo-Democriteus, & spiritus etiam ex atomis h. e. corpusculis indivisibilibus conjungit, aut nullos agnoscit.

(tt) ut de impenetrabilitate paululum clarius constet, observetur, materialibus particulis competere impenetrabilitatem & impenetrantiam (liceat cum Ciceroe ο'νομαστοποιεῖν) h. e. nulla particula ab alia particula materiali penetrari, neque aliam penetrare potest. Notat enim vox impenetrabilis passionem & vox impenetrans actionem.

(uu) ut autor anonymus du Guerrier Philosophe C. IV. & v. p. 117. 199. prod. a Paris. an. 1712.

(vv vv) conf. le Guerrier Philosophe c. vi. p. 130. 199. & Thomas. in Cautelis circa Præcognita jurisprudentiæ C. XI. §. 28. 29. 37. Prolixissime sese defatigavit Mugys in Elementis physicis, methodo mathematica demonstratis Propof. II. p. 48. seqq.

(xx)

(xx) h.e. materiam esse ens essentialiter passivum.

(yy) multi hucusque contra extensionem, in qua sola Cartesius essentiam materię posuit, pugnarunt, recentissime idem autor du Gerrier Philos. c. I. & C. III.

§. XII.

Sequuntur ex illis, quę de essentia, differentia essentiali & substantia dixi, *duo axiomata metaphysica*, ex quibus de omnibus differentiis essentialibus rerumque substantiis fieri iudicium debet. Primum est: cujuscunque rei proprietates essentielles contrarię sunt proprietatibus essentialibus alterius rei, ita ut se invicem tollant, & jungi a mente, vel ut alii dicunt, junctim concipi nequeant, illa res alteri essentialiter contradistinguitur. Secundum est: cujuscunque rei essentielles proprietates necessario nexu sese involvunt, & actu rem illam ab omnibus aliis rebus distinguunt, illa res commode substantia dici potest & debet. Utrumque axioma in sequenti capite proprietatibus mentis & corporis, in hoc capite explicatis, & utrinque concessis aut concedendis, applicabimus, mentis propriam substantiam; & essentialem a corpore differentiam hac via evicturi.

C A P. II.

§. I.

ET primo quidem mentem substantiam esse ex collatis invicem ejus proprietatibus apparebit, supponimus enim hactenus tales, quas recensui, re ipsa in hominibus cunctis reperiri, ita tamen, ut illiquidum habeatur, an corporis tantum sint accidentia, ut mentis substantialitatem in dubium vocantes volunt, an vero junctim sumtę veram & propriam constituent substantiam. Ultimum hoc extra dubium collocatur considerando, quod omnes menti concessę proprietates partim unius ejusdemq; naturę sint & conditionis, & hoc modo ab omnibus aliis entibus diversę naturę actu sese distinguant, partim tali nexu unitę, ut semet invicem includant, & necessaria conjunctione involvantur.

Quod ad illud, *consentientem scilicet naturam in omnibus proprietatibus*, attinet, ultro sese prodit, sensio enim in conscientia quadam interna, idea in manifestatione sensionis, memoria in conscientia sensionum & idearum aut etiam volitionum præteritarum, ingenium & iudicium in conscientia earum, quæ proprietatibus idearum insunt, convenientiarum & inconvenientiarum, reflexio in conscientia vel animadversione boni & mali veri & falsi, in nostris actionibus & passionibus latentis, libertas in conscientia & animadversione eorum, quibus actiones & passionis nostræ augeri vel minui possunt, manifesto consistunt, quas proprietates omnes voluntas, quæ & ipsa sensioe boni & mali præsentis aut futuri nititur, tanquam perpetuas conservandi nosmet & beandi conatus, in actum conjicit, magisque vel minus intendit aut remittit. Posses hoc respectu mentem nominare perpetuam & substantialem potentiam hominem conservandi & beandi, propria conscientia eorum, quæ in ipsa fiunt, aut per corpus ad ipsam deferuntur, gaudentem. [zz] Actu igitur ab omnibus aliis entibus diversæ naturæ distincta est, nam actualibus distinctisque proprietatibus gaudet, qualem essentialem a corpore humano materiali differentiam non multo post cernere liquidius licebit.

(zz) hoc egregie confirmat prolixissimus discursus Cuffleri in C. II. speciminis artis ratiocinandi p. 35. --- 142. licet Spinozisticis quibusdam sententiis, huc non pertinentibus, interpolatus.

§. II.

Nec in obscuro habitat *nexus ille necessarius omnium proprietatum*, quæ ad mentem omnium consensu referuntur, si ad generationem earundem ex semet invicem velis attendere. Sensio enim, ut fundamentum omnium reliquarum, manifestat objectorum proprietates per ideas, memoria has ipsas continuat aut reddit, sensio convenientiæ aut disconvenientiæ idearum ingenium & iudicium producit, ex quibus ingenium iudicio quasi ideas præparat. Sensio autem boni aut mali in ideis rerum, seu relationis ad
nostram

nostram conservationem vel distinctionem voluntatem aut volitiones excitat, & conscientia aut animadversio boni & mali veri aut falsi in volitionibus & judiciis reflexionem, in reflexione autem animadversæ causæ & occasiones nostrarum actionum & passionum harum moderamen seu libertatem generare consueverunt. Deprehendimus hanc proprietatem concatenatam generationem non tantum ex definitionibus superius exhibitis, sed etiam quotidie in praxi ipsa rursus per internam nostram conscientiam, cum non raro tam celeriter se invicem exercitio suo excipiant, ut vix at ne vix quidem distingui queant; id quod animadversum ab illis fuit; qui intellectum & voluntatem unam mentis potentiam, diversimode tantum sese exerentem, nominarunt. [aaa] Accedit unam absque altera ne concipi quidem in nobis posse; libertas enim quid esset, nisi volitiones & disjunctiones, earumque causæ & occasiones, augendæ aut minuendæ, darentur? qualis reflexio, ubi nihil idearum & volitionum, circa quas reflectas? quid est voluntas, si nullus sensus boni & mali, nullaque rerum, quibus hæc insunt, idea datur & cognitio? Quale ingenium aut iudicium, qualisve ratiocinatio, deficiente sensu rerum & idea, deficienteque conatu & impulsu voluntatis? quid autem prodest idea & sensus, si illius nullus est effectus, hoc est, nullum iudicium, nullaque voluntas? cuius bene sano hæc patent, si modo velit advertere, & illæ quæstiones, an omnes mentis facultates & proprietates nobis sint cognitæ, [bbb] item an in omnibus spiritibus præcisè tot proprietates, quales in nostra mente apprehendimus, sint vel esse debeant, [ccc] deductionem nostram reddere dubiam non possunt, quandoquidem id tantum nobis probandum incumbit, quod omnes proprietates à mentis substantialitate negantibus menti adscriptæ unius ejusdemque naturæ, actu ab aliis entibus diversæ, neque inseparabili junctæ existant, & ideo propriam constituent substantiam, id quod hæctenus fuit demonstratum.

- (aaa) v. Excellentissimi Titii observat: in Pufend; de O. H. & C. obs.
 1 3. p. 404. quanquam mens mea hoc loco non sit, hanc hypo-
 thesin absque ulteriori declaratione pro certo affirmare, conf.
 Joh. Georgii Wachteri origines juris naturalis. Propos. IV.
 Schol. I. p. 14:
- (bbb) conf. modo Poiretum de eruditione solida, superficiaria &
 falsa L. I. P. I. §. 2--6. alias adhuc facultates mentis ex sua hy-
 pothesi afferentem.
- (ccc) nescimus enim, quot potentias præcise hi vel illi spiritus ha-
 beant, vel habere possint, cum de aliis non nisi a posteriori ex
 effectibus nobis notis concludere queamus.

§. III.

Hanc mentalem substantiam, jure enim nostro jam
 mentem ita appellamus, *diversam esse essentialiter in suis
 proprietatibus a corpore & ejus proprietatibus*, facile appa-
 rebit ex collatione proprietatum mentis cum natura materiæ
 & proprietatibus corporis exin resultantibus. Declarabit
 enim naturam mentis naturæ materiæ, & operationes men-
 tis operationibus corporis ita esse repugnantes, ut propieta-
 tes mentis non possint esse in materia aut materiali corpore,
 neque corporis proprietates in mente. A materiæ & corpo-
 ris, omniumque partium fluidarum & fixarum, impenetrabi-
 litate vel soliditate initium capiam, proprietates mentis cum
 eadem componendo. Etenim quotquot in corpore & particu-
 lis materialibus fiant motus, tamen in nullo una particula al-
 teram penetrare, introspicere, & quid illa aut ejus motus, aut
 res, motum excitans, sit cernere poterit, nulla enim se, nulla
 aliam, & omnes junctim motæ nullo modo sese invicem pe-
 netrare possunt. E contrario omnes mentis operationes in
 continua penetratione sui ipsius & aliarum sitæ sunt, per quam
 una alteram, aut potius mens omnes intus cernit & introspi-
 cit, cernere autem & introspicere est penetrare, & quid in
 re sit, eruere. Sensio enim, utpote conscientia illius motus,
 qui imprimitur, parit ideas, hoc est, penetrat introspicendo
 motus impressi, & per consequens rei imprintentis, naturam
 &

constitutiones. Recordatio, maxime voluntaria, est introspectio idearum in mente nostra latitantium, & excussio omnium, quæ ad rem exhibendam aliquid faciunt, quas, introspectantes an cum nostro scopo convenient nec ne, aut jungimus, aut rursus removemus & dimittimus. Volitiones semper secum ducunt conscientiam boni & mali percepti. Nam conatus rem persequendi aut amoliendi est ideæ illius, & in hac istius bonitatis aut noxæ animadversio, & exin ortum amoris vel odii exercitium. De ingenio, judicio, reflexione & libertate non est, ut prolixius disquiramus, cum omnis ratiocinatio internam introspectionem idearum & judiciorum ex quibus componitur, reflexio autem & libertas penetrationem in mente & a mente actorum, causarumque & occasionum, unde provenerunt, luculenter arguat. Luculentius adhuc hoc, quod dixi, mentis oculos incurrit, simulac expendimus, judicandi ratiocinandique consequentias, in quibus interdum, maxime in methodo mathematica, ex scumularis & antea demonstratis positionibus novæ, & quidem clarissima sequela, sive omnium intima introspectione & penetratione, deducuntur, unde intelligendi capacitas [ddd] in exercitatis mentibus mirum in modum apparet. Excipiunt ideo sese mentis nostræ operationes tanta celeritate, quam ideo concipere possumus, una operatione alteram confestim penetrante, seque priori accommodante, ut manu fornacem candentem proximius paululum accedentes momento quasi manum retrahimus, simul sensationem externam, internam, recordationem similium effectorum, 'dijudicationem, volitionem, executionem citissime perficientes. Quam internam promptissimamque cognitionem & conscientiam operationum non possumus non penetrationem dicere, cum cogitatio in cogitatione quasi intime sit, ejusque naturam internam omnesque inibi latentes proprietates præsentissime inruatur. [eee] Agnovere hanc Spirituum penetrationem, quam hæcenus tantum in operationibus ostendi, antiquissimi philosophi, unum spiritum in alio esse, eumque intime cogn-

gnoscere & in actionibus suis penetrare posse perpetuo consensu afferentes [fff].

(ddd) de hac mentis capacitate legi & conferri merentur dicta a Joh. Clerico in Logica P. III. c. III.

(eee) nullum deprehendimus finem in hac continua cogitationum & volitionum penetratione. Ex quo enim una fit in mente, statim datur ejus aut dari potest interna introspectio, & hujus rursus intima penetratio, hujusque pariter, & sic in perpetuum.

(fff) hinc Platonis mundi intelligibilis & sensibilis & maxime Kabbalistarum mundi, emanativi, creativi, formativi & factivi, sibi invicem inexistentium, hypotheses. v. Kabbalam denudatam Tom. I. P. I. p. 12. & P. II. p. 83. seqq.

§. IV.

Intelligimus per hanc penetrationem continuam, quam operationes mentis invicem exercent, quomodo fiat, ut mens cognitionem corporis, rerum corpus afficientium, & omnium propriarum actionum & passionum habere possit. Inde est, quod mens seipsam suasque operationes, corpusque, quatenus ejus directioni subest, ad certos fines adaptare, eos perspicere queat, & actu consequi. Repugnat hoc naturæ corporis, maxime ejusdem soliditati & impenetrabilitati. Concipe subtilissimasque asc inque particulas, in figuras numero innumerabiles dispositas, & organis artificiosissimis inter semet invicem, motas, prementes sese & reprimentes, & cape, si potes, connexionem inter causam & effectum, hoc est inter hunc particularum impenetrabilium motum & motus illius, rerum motum excitantium, productorum judiciorum, volitionum, reflexionum, intimam cognitionem, examinationem, correctionem, directionem. Sane nullam convenientiam, quin potius manifestam pugnam inter causam & effectum deprehendimus; causa enim, hoc est motus particularum, nullam neque motus neque particularum penetrationem infert, sed cognitio introspectionem motus, omniumque in eodem affectionum, requirit manifestissime. Quomodo

do quæso materia proprias suas affectiones externas aut internas nosse poterit, ut de aliis rebus nihil dicam, uti nullum speculum nullaque camera obscura depictæ imaginis suamque naturam perspiciet, quam fortissima etiam impressio sit aut esse possit?

§. V.

Quod si illi, quibus diversitas essentialis mentis a corpore minus placet, spiritualem naturam materiali contradistinctam admittunt, ut ipse Hobbesius [ggg] in Deo concedit, licet eundem corpus dici posse prolixè simul asserat; facilius sibi ipsis hanc, quam modo proposui, essentialem corporis materialis & mentis, nec non operationum utriusque essentialium, diversitatem poterunt persuadere. Percipit enim & cognoscit mens non tantum materialia, sed etiam *ab omni materia remota*, ut virtutes, hoc est Spirituum perfectiones, res divinas, DEumque ipsum & naturalem religionem. Est quippe aliquis Numinis sensus in omnibus, sibi attendentibus, humanis mentibus, ita ut ille a pessimis etiam hominum non nisi continuis pravis actionibus, cogitationibus & volitionibus supprimi, & tamen ad tempus tantum, possit, cum nolentibus volentibus interdum profiliat. Imo referrem huc etiam primas in mente veritates, quæ ideæ innatæ non inconcinne dici possunt, quam prolixam etiam operam ideis innatis refutandis Lockius infumserit. (hhh) Quis ergo concipere possit, particularum impenetrabilium motus, extrinsecus excitatos, naturas rerum spiritualium percipere non tantum, sed etiam juxta essentielles proprietates subtilissima methodo posse examinare?

[ggg] cum enim hic corpus pro ente reali sumat, nullus dubitat DEum corpus, & tamen simul verum realem & purum Spiritum, dicere in Leviathan Append. c. 3. p. m. 360. 199.

[hhh] non est animus circa nomen ideæ innatæ prolixius pugnare, quanquam mihi non videatur, ut multis, inconveniens, modo quis in mente admittat ejusmodi primas veritates, omnium reliquarum veritatum in nobis matres. Lockius

cius, Spiritualis naturæ ignarus, in Tentamine suo de mente humana controversiam non exhaurit, & rectius sensit Cuslerus l. c. ll. §. 7. & 9. Imo ipse Spinoza ideas innatas non potuit negare, ut potius in ipsis æterna- rum suarum veritatum posuerit fundamentum.

§. VI.

Accedo ad alteram corporis materialis proprietatem essentialem, *divisibilitatem* scilicet, capite antecedente probatam, & huic etiam contrariam *indivisibilitatem* in mente ejusque proprietatibus essentialibus evincam. Et enim constat ex corporis qualicunque etiam consideratione, non tantum omnes ejus partes fixas & fluidas esse actu ipso divisibiles, sed etiam conflatas ex materialibus particulis rursus divisibilibus, usque eo, ut hujus divisibilitatis nullum mente comprehendere finem liceat. Secus in examine mentis & mentalium operationum rem deprehendimus, in quibus partim omnes mentis proprietates respectu semet invicem inseparabiles & indivisibiles sunt, de quo nexu, ejusque probatione dictum in §. 2, partim qualibet proprietate in sua natura dividi, aut in partes realiter distinctas, tanquam ex his composita, separari nequitiam potest, sed quod hic clarius exponendum. De volitionibus nostris hæc indivisibilitas constat, nam conatus aliquid appetendi vel fugiendi ne quidem cogitando in partes licet separare, potentia enim, quales conatus sunt, intensionem & remissionem, sed non divisionem admittunt. Quicquid nobis in volitionibus divisibile & compositum apparet, sunt ideæ, judicia, reflexionesque de rebus appetendis aut fugiendis, quarum tamen intimam indivisibilitatem etiam facile possumus comprehendere. Licet namque ideæ ex pluribus sensationibus, imo ideæ compositæ ex pluribus ideis, memoria ex perquam multis ideis retentis, ingenium & judicium ex pluribus non raro ideis & judiciis antecedentibus, reflexiones & exercitium libertatis mentalis, prout eam capite superiore ex quorundam recentiorum hypothesi descripsi, ex repetitis & cumulatis interdum ratiociniis

com.

componantur, ex quibus modo plures modo pauciores memoriae succurrunt & intus nobis exhibentur; exin tamen mens ipsa, hoc est interna illa conscientia, qua sensationem, ideam, memoriam, reflexionem imo libertatem fieri probavimus, nullam acquirit aut compositionem, aut, de qua hoc loco proprie sermo est, divisibilitatem. Est enim illa interna conscientia unica vis se se juxta nexum idearum plurium aut pauciorum, sensatione externa aut interna impressarum, perpetuo exserens, & in actionibus & passionibus mentis tantum pro diversitate & compositione objectorum applicans. Concipe tibi in DEO infinitas cogitationes, rerumque omnium, maxime compositarum, ideas compositas, & tamen DEum ipsum ejusque vim cogitandi, non concipere licebit compositam, aut in partes, re ipsa distinctas, separabilem; quo conceptu & animadversione illis, qui DEum agnoscunt, mentis indivisibilitatem cognoscere pronum erit, nisi rerum Spiritualium profundiore meditationem spiritus eorum, materialibus immersus, noxia sed frequenti satis impatientia refugiat.

§. VII.

Mihi, in his speculationibus progredienti, tertia adhuc corporis materialis proprietas, per quam *essentialiter passiva* est, necessario succurrit, unde nova emergit pugna inter proprietates essentialis mentis ac corporis, quam indicare & probare mei est officii. Cum igitur quaelibet materiae particula, & per consequens, totum exin aggregatum corpus, per se & suam naturam nihil agere aut semet movere possit, nisi impellatur ab alio ente, sequitur nullam materiam nisi per mechanismum unquam moveri motumque continuare. Intelligimus vero per *mechanismum* motum rei solidae, & per se immobilis, ab alia re impressum, & pro varietate figurae situs & magnitudinis rei motus diversimode continuatum, ac cessante impulsu continuo cessantem. Opponitur huic *activitas essentialis* s. *vitalitas*, hoc est motus entis penetrabilis intra semet ipsum quavis data causa extrinseca aut intrinseca ortus, propria & essentiali vi absque rei exterioris impulsu continuatus, & pro

intrinsicis entis essentialibus proprietatibus varians. Ens mechanice tantum mobile, ens essentialiter vel mere passivum, ens vitaliter mobile & semet movens vitale, vel essentialiter activum, verissime appellatur. Qui DEum, aut causam omnium motuum & rerum primam, non negat, terminosque intelligit, sponte concedet, DEam tale ens vitale absolutissimum perfectissimumque esse, uti Spirituum creati in hac etiam propria & essentiali activitate sive vitalitate limitati deprehenduntur. Mechanismum corpori nemo denegat, in motu Sanguinis circulatorio, seu transpressorio & colatorio, pro modulo impulsus & particularum motuum, nec non organorum colatorum varietate variante vel maxime conspicuum, ubi tamen heic loci de principio motus & impulsus nulli litem movemus. (iii) Vitalitatem paucissimi in Spiritibus recte querunt aut inveniunt, cum pauci illam intelligant, vel potius intelligere velint, mirum tamen deprehendimus circa hanc, Spiritibus essentialem, in antiquitate philosophica consensum. Orientales quondam omnes Spiritus habebant pro principiis actionum essentialibus & substantialibus, ut ex Græcis etiam Pythagoras animam humanam numerum se ipsum moventem, & Aristoteles principium (id est causam) motus & vitæ corporis organici non inconcinne appellaverit. (xxx) Ex recentioribus Chymici nonnulli, (lll) & recentissime Dominus Raphson in suis epistolis Miscellaneis, (mmm) Dominus D. Christian. Thomastus invarius scriptis, (nnn) nec non Dominus D. Jenkinus Thomastus Britannus (ooo) in Tractatu de anima brutorum cum aliis quibusdam eandem vitalitatem Spirituum declararunt, quam hoc loco ex mentis proprietatibus essentialibus menti vindicamus.

- (iii) non enim hoc loco curamus in circulo & motu sanguinis, quales spiritus vitales, entia astralia & ætherea nonnulli hoc in negotio afferant, cum hic vel maxime ingeminandum illud Comici: Næ faciant homines intelligendo, ut nihil intelligant. v. Georgii Ernesti Stahl's Positiones de mechanismo motus progressivi sanguinis. Halæ 1710, Disp. loco editæ.
- (xxx) ipse Cicero Aristotelis vocem *ἐνταλῆξιαν* aut *ἐνδολῆξιαν* continuam & perennem motionem reddit L. I. Tusculan. Quaestionum n. 22.

(lll)

(III) intelligit exin Paracelli & Helmontii hypothesi de spiritu & Archæo potest.

(mmm) ex Henrico Moro deducit, quod spiritus sit substantia ἀνόργανος & ἀνοργανός, maxime Epist. V. & VI.

(nnn) conf. librum: Versuch von Wesen des Geistes, & quæ in ejusdem cautelis circa Præcognita jurisprudentiæ C. XXII. §. 13-16. habentur.

(ooo) prodiit ejus Tractatus Philosophico-Apologeticus Altorffii Noric. an. 1713.

§. VIII.

Has quippe penitus examinantes *in singulis vitalitatem quandam propriam deprehendimus*. In genere constat omnes intendi & remitti posse, prout homini vitum fuerit, hoc est potentiam in nobis dari intensius cogitandi vel volendi, quæ est ipsissima vitalitas. Porro interna conscientia, beneficio cujus operationes mentis perficiuntur, rursus est *vis* intuendi & animadvertendi omnia, quæ est vitalitas propria mentis. In specie *sensio* nulla fit, ubi nulla mentis attentio, attentio ergo & conscientia mentis non fit a sensione, sed est ipsius mentis vis viva, quam modo hac modo illac vertit. *Memoriam*, quatenus recordatione maxime constat, proprio motu activam cernimus, uti ex recordationibus subitaneis, quarum causa nulla ne divinari quidem potest, imo etiam ex deliberatis, in quibus mens semel de re admonita maxima cupiditate & anxietate (en principium motus vitale!) ideas conquirat, idearumque nexus. Evigilationes nocturnæ, stas temporibus pro impressione nostra vehementiori aut affectu, circa tempus somni capiendi excitato, factæ, quibus a somno mens corpus suum revocat, clarissime propriam fiunt vitalitatem. *Ingenii, judicii* ac ratiocinationum exercitia sunt activa examina idearum ac judiciorum, licet maxima activitas in volitionibus nostris, uti ex affectibus apparet, cernatur. De *reflexione & libertate* res ultro patet, dum enim mens moderari impressiones, actiones passionisque suas potest, quid quæso hac ratione aliud, quam propriam exercet activitatem? Nolo plura de obfirmatione mentis in bono aut malo, & de directione mentis respectu corporis sui, licet etiam huc pertinente



nente, in medium afferre, alii enim jam in his & similibus otia mihi fecerunt. (ppp)

(ppp) pertinent etiam huc varia ex Becheri Psychosophia p. 92--96.

§. IX.

Possent facili negotio ulterius mentis & corporis proprietates essentialia invicem componere, plura enim in hoc dantur notatu digna, quam plurimis videtur, sed ex his satis intelligi scopus hujus primæ dissertationis & assertionis nostræ veritas poterit. Scilicet cum essentialia mentis proprietates penetratione, indivisibilitate & activitate sua propria, sive vitalitate, cum essentialibus materialis corporis proprietatibus, soliditate, divisibilitate & passivitate essentiali se se exlerentibus, pugnent, mentem tuto substantiam a corpore suo materiali essentialiter diversam esse concludimus. Equidem ea, quæ opponi possunt contra modum concludendi & contra ipsissimas mentis & corporis proprietates hic afferre haud licet, non tamen themati huic & assertionibus, quas involvit, defensione in secunda dissertatione, hanc vindicante, declarante & confirman-

te, sumus defuturi.

TANTUM.

CORROLLARIA.

- I. **V**oluntas representatione spei & metus flectitur, sed mens supra spem metumque posita, vere libera est.
- II. Homines cum nullam spem nullumque metum præterquam hujus vite representare queant, non possunt mentem vere sapientem necessitare.
Ergo sapiens mortem contemnit.
- III. Corpus est pars hominis essentialis, æque ut mens: imo hæc post mortem corpore soluta non est homo.
- IV. Conjugium est unio duorum hominum, hoc est, mentium & corporum.
- V. Propagatio hominum est productio hominum ab hominibus.
E. productio mentium & corporum.
- VI. Imperium paternum & maritale (sive melius directio familie) jure nature marito minime autem uxori competit.
- VII. Jure nature nulli dantur gradus prohibiti, nisi qui propagationem generis humani impediunt, e.g. filii & matris.

00 A 6280

ULB Halle

002 828 09X


3




Sb.

nlh







4

MENS SUBSTANTIA,
CORPORE^A ESSENTIA-
LITER DIVERSA,

INCLYTI ORDINIS PHILOSOPHICI
SENSU

PRO LOCO IN EODEM OBTINENDO

DISSERTATIONE

METAPHYSICO-ANTHROPOLOGICA
PRIMA

CONTRA RECENTIORES QVOSDAM EPICUREO-
HOBBSIANOS

ASSERTA

^A
M. GOTTFRIED POLYCARPO
MÜLLERO,

STOLB. MISN.

D. V. JAN. AN. MDCCXIV.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

LITERIS ANDRÆE MARTINI SCHÆDII.